Celsis.mo et Rev.mo Archiep.o et Primati Boemiae

235

Expedivimus tandem nostrae missionis Apostol. in monte Sancto solemnitatem nec non Pontificis O. M. Clem. X singulari privilegio dotatam eo successu quo maiorem sive [illegible] coeli serenitatem sive innumerabilem [illegible] confluxum spectes non dicam exoptare, sed ne sperare quidem poteramus. Hac finita per Tyberim, et hinc Tusculum vires tanto labore fere attritas restauraturi concessimus. Et tandem Romam [illegible] reduces invenimus literas Cels. V.ae, quibus nihil mihi carius, vel desiderabilius antiquiusque accidere poterat, has itaque iterum iterumque osculatus ingentes Deo Opt. Max. gratias egi de admirabili divinae providentiae circa personam Cels. V.ae dispositione non tantum dignitatis gradu exaltatae attonitus, certaque spe firmissima fretus futurum, ut divinae bonitati, veluti te instrumento quodam ad magnum in Ecclesia Dei bonum sit sua destinatione, si eius instinctui et inspirationibus probe obtemperaveris, electuram; Quod ut fiat nos certe non defuimus in nostra solemnitate, Tuam personam tanquam maximam huius loci benefactorem numerosissimo Peregrinorum concursui qua publice qua privatim efficacissima exhortatione commendare PP. NN. non destitimus.

Ad me quod attinet, ego prospera Dei gratia eiusque SS. Matris adiutorio, valetudine utens solitas meas occupationes literarias qua scribendo, qua imprimendo, prosequi non desino. Opus Arca Noë Regi Catholico inscriptum a Jansonio Cels. V.ae missum iam obtinuisse non dubito; librum quoque a Jansonio de studiis Kircherianis tibi dicatum iam ad prelum iussimus, authore Josepho Petruccio; de ceteris operibus meis prelo subdendis alio opportuniori tempore Cels. V.am certiorem reddam. Modo enim totus sum in machina quadam nova Gazophylacium artificium mathematicarum, quod Catholicus Rex per Card.lem Nithardum mihi imposuit apparandum; quod etiam omnibus numeris absolutum et quam pretiosissime et splendidissime a Card.li exornatum proxime mittendum Rex maxime mathematicus deditus non exiguo desiderio expectat. Sed ne Cels. V.ra innumeris occupationibus distentae taedio sim, finio calamum. Hoc unicum a tua Cels. contendens ne ita adeptae dignitatis negotiis absorbearis, ut amici pristini qui te et semper cordatissime amavit, amat et in posterum plus magisque amaturus est, oblivisci videaris. Vale Cels. Princeps, vale Deo, matri nostrae Ecclesiae, tibi.

Romae 16 Nov. 1675.

Celsis.mae Rev.mae Tuae

Servus humill.s et devot.s
Athanasius Kircher

Relatio de miſſionis Eustachianam
Suessan. ad D. Waldstein Archiepum
porrectam